

Dē filiā in venēnōsīs nūtrīta

Alexander rēgnāvit, quī erat tam fortis tempore suō et potēns, quod nūllus eum dēvincere potuit. Et quantum ad sapientiam magistrum Aristotelem habēbat sēcum, quī eum in omnī sapientiā īnstruēbat. Haec audiēns rēgīna aquilōnis filiam suam ā tempore nātīvitātis venēnō nūtrīvit, et cum ad aetātem lēgitimam pervēnisset, erat tam pulchra et in omnibus amorosa, ita quod multī per aspectum eius īnfatuātī fuērunt. Tandem rēgīna eam ad Alexandrum mīsīt, ut esset eius concubīna.

Vīsā puellā, statim captus est in eius amōre et dormīre cum eā volēbat. Haec percipiēns magister Aristotelēs dīxit eī: "Nōlīte tālia attemptāre, quia, sī fēcerītis, incontinentī moriēminī, eō quod ipsa sit tōtō tempore vītae suae venēnō nūtrīta! Et ut vērū fuerit, quod dīcō, statim hoc probābō. Hic est quīdam malefactor, quī per lēgem morī dēbet; cum eā dormiat, et tunc vidēbitis, sī vērū dīxerim."

Et sīc factum est. Malefactor ōsculātus est eam, cōram omnibus cecidit et mortuus est. Alexander haec percipiēns magistrum suum mīrō modō laudābat, quī eum ā morte liberāvit.

Puellam mātrī remīsīt.